



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P.|| Vincentii|| Brvni, Socie-||tatis Iesv,|| Meditationes,||  
In Septem Praecipva Festa|| B. Virginis**

**Bruno, Vincenzo**

**Coloniae Agrippinae, 1598**

VI. De Visitatione B. Virg.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59989](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59989)



QVOMODO  
**BEATISS.**  
 VIRGO VISITARIT  
 ELISABETHAM  
 COGNATAM  
 SVAM.

MEDITATIO VI.  
 EVANGELIVM.

**E**XVIRGENS Maria in *Luc. 1.*  
 diebus illis, abiit in monta-  
 na cum festinatione in ciui-  
 tatem Iuda, & intrauit in domum  
 Zachariae, & salutauit Elisabeth.  
 Et factum est, vt audiuit saluta-  
 tionem Mariae Elisabeth, exul-  
 tauit infans in utero eius, & re-  
 pleta est Spiritu sancto Elisa-  
 beth, & exclamauit voce magna,  
 & dixit, Benedicta tu inter mu-  
 lieres, & benedictus fructus ven-  
 tris

164      MEDITAT. DE  
tris tui. Et vnde hoc mihi, vt  
veniat mater Domini mei ad me?  
Ecce enim vt facta est vox saluta-  
nis tuę in auribus meis, exultauit  
in gaudio infans in vtero meo, &  
beata quę credidisti, quoniam  
perficientur ea quę dicta sunt ti-  
bi à Domino. Et ait Maria. Magni-  
ficat anima mea Dominum. Et  
exultauit Spiritus meus in Deo  
salutari meo. Mansit autem Maria  
cum illa quasi mensibus tribus.

FIGURAE.

*Judith. 13.* **I**VDITH cum capite Holofer-  
nis in Bethuliam reuertentem, to-  
tiusquę populi gratulatione & ap-  
plausu recepta sic allocutus est prin-  
ceps Ozias. Benedicta es filia à  
Domino Deo excelso præ om-  
nibus mulieribus super ter-  
ram.

*Tob. 11.* 2. *Consobrini Tobie, cum cogno-  
uissent prosperos eius post tot aduer-  
sa successus, cum gaudio eum visi-  
tarunt, & congratulati sunt de  
omni-*

B. VIRGINE. 165

omnibus bonis à DEO illi præstis.

3. ANNA mater Samuelis sterilis, filio à Domino donata, adorans Deum dixit. Exultauit cor meum in Domino, & exultatum est cornu meum in Deo meo. 1 Reg. 2.

PROPHETIAE.

1. ANIMA mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari suo. Psal. 34.

2. Dominus ab utero vocauit me. Esa. 49.

3. Antequam exires de vulua sanctificauit te, & prophetam in gentibus dedit te. Ierem. 1.

CONSIDERATIONES.

1. VIRGO sanctissima post angeli discessum plena remansit duplici gaudio, tum ob diuinam filij Dei incarnationem in se peractam, tum ob admirandum & insperatum nuncium de sua cognata Elisabeth, quæ in extrema sua senectæ, & sterilitate antiqua ex singulari Domini dono conceperat filium. Quare & ilico consilium de ea visenda capit, par.

par.

partim vt ei gratularetur de tanta gratia diuinitus concessa, partim quia voluntas erat filij vt eam inuiferet, quo sua diuina præsentia, & Spiritus sancti infusione suum electum & dilectum amicum Iohannem adhuc in vtero matris existentem quasi baptizaret & sanctificaret. Quid quæso Virginem ex solitudine illa tantopere amata extraxit, nisi officiosa & prodigiola eius charitas? Hæc fecit, vt illa, quæ tanta erat quietis amica & contemplationis, consuératque sola in cubiculi sui secreto viuere, nec mollicætatibus, nec verecundia virginibus innata, nec asperitate montium, nec itineris longitudine vel molestia potuerit retardari, quin in publicum prodiret, & officia omnia Elisabethæ deferret. Caritas omnes inducias, omnem tarditatem, omne otium eripuit. Caritas reddidit pedes eius ad currendum veloces, & ad insolitam fatigationem tolerandam alacres, totiusque itineris molestias mitigauit. Caritas eam permouit ad incundam sponte hanc visitationem,

ad

ad ingrediendam domum alienam, quo non erat inuitata, nec expectata. Caritas denique effecit, vt non iret solum salutatam cognatam, sed etiam ad operam suam in ministerijs domesticis præstandam: iam enim probe intelligebat (vt illa quæ Christum Dominum iam in utero gestabat) fraternæ caritatis obligationem, hoc est, quemadmodum alter alterius onera portare, sanctis ministrare, honore inuicem præuenire, cum sollicitudine & feruore Spiritus proximorum necessitatibus subuenire debeamus. Vbi quoque perpende magnam eius humilitatem, quod e *Rom. 16.* uecta ad tam sublimem statum, qualis erat, esse matrē Dei, quæ merito & visitari, & ab omnibus gentibus coli & honorari debebat, nō dedignata sit se demittere, & ea officia tubire, quæ inferiores solent præstare superioribus. Nec mirum: habebat enim prudentissima virgo à cælesti Patre erudita perspectum filij institutum, de quo scriptum erat, quod per viscera misericordiæ suæ visitasset nos oriens ex alto, nullaque habita suorum commodorum ratione nostrā utilitatem, propriæ vitæ & honori

ante

anteponisset . Non secus Virgo,  
(quæ vitam suam ad exemplum filij  
instituebat ) posthabito suo com-  
modo & solatio , in viam se dedit  
cum tanta humilitate & festinatio-  
ne ad visendam , suaque præsentia  
& seruitio consolandam cognatam.

2. EXURGENS igitur Maria  
abiit in montana ; cōgruenter autem  
virgo in montana abiit post visionē  
angelicam , quia post degustatam cę-  
lestium ciuium dulcedinem humili-  
tatis passibus virtutum culmen con-  
scendit . Conueniebat vt alta loca pe-  
teret , quæ in beato utero suo recepe-  
rat filium altissimi . hoc est , vt con-  
uersatio eius non esset amplius in  
terra , sed mentem altius attolleret ad  
vitam nimirum cęlestem , ad opera  
cęlestia & diuina . Exurrexit quoque  
Maria , & in montana ascendit , quo-  
ad personæ suæ dignitatem , quia è  
Virgine , & infæcunda facta est ma-  
ter , imò simul fuit Virgo & mater ,  
priuilegio tam singulari , vt nulli  
vnquam id concessum fuerit , nec  
concedi debuit , nisi illi , quæ erat ele-  
cta in matrem Dei . Exurrexit deni-  
que M A R I A quia ex humili an-  
cilla facta est æterni Patris filia , vni-  
geni

geniti filij eius mater, & Spiritus sancti Sponsa. Abijt quoque Maria in *Psal. 86.*  
*Montana.* Quid verò aliud designant  
 hi montes, nisi montes sanctos Isra-  
 hel, montes excelsos, montes aroma- *Cant. 8.*  
 tum Patriarcharum, Prophetarum,  
 Apostolorum, aliorumque omnium  
 Sanctorum veteris & nouę legis. Imò  
 ascendit longius vsque ad Angelo-  
 rum choros: sed neque inter angelos  
 substitit, imò transcendit colles illos  
 æternos, nam per abundantiam gra-  
 tię, & puritatis ac perfectionis ex-  
 cellentiam, omnem cælestem creatu-  
 ram excessit. Itaque hæc sanctissima  
 virgo etiam antecelluit potestatibus,  
 & dominationibus, atque etiam che-  
 rubinis & seraphinis, donec perue-  
 nit ad fontem illum purissimum, ad  
 virtutum perfectionumque Domi-  
 num, cuius illa (sua carne eum vesti-  
 endo) facta est Mater, imò illa erat  
 mons altissimus domus Domini, de  
 quo dixit Propheta. *Erit in nouissimis* *Esa. 2.*  
*diebus preparatus mons domus Domini in*  
*vertice montium, & eleuabitur super col-*  
*les.* Verè altus mons erat M A R I A.  
 Sed vide quomodo illa in sublimi  
 suo statu, oblita non sit, se quoque esse  
 liliū vallium: nam mox atque ad-



*Phil. 2.*

uertit se factam Dei matrem, magna festinatione descendit, & se cognatæ suæ velut ancillam subiecit. Quo humilitatis profundæ exemplo facile declarauit, se esse matrem eius, qui cum esset in forma Dei, seipsum exinanuit, & propter hominem, formam serui assumpsit. O anima mea si tibi illa fœlicitas contigisset, obuare Virgini per montana cum festinatione occurrenti, iamq; aliorum sermone didicisses virgunculam illam habitu corporis tam simplicem & pauperem, esse matrem Dei, angelorum Dominam, reginam cæli & terræ, ipsamq; Deum totius orbis conditorem gubernatoremq; in forma pusilli infantuli utero eius inclusû, quanto stupore & exultatione mentis, & quasi à sensu alienata magna voce eam cepisses predicare beatam & fortunatam, abiectaq; ex reuerentia in terram genibus flexis post eam abeûtem prorepisses, magna voluptate, deuotisq; lachrymis oscula insignens sacrorum eius pedû vestigijs?

3. INTRAVIT Virgo in domum Zachariæ, desiderio religiosam cognatam suam visendi. Vbi vide non dedignari **MARIAM** ire ad Elisabetham,

B. VIRGINE. 171

Elisabetham, Christum ad Ioannem, Dominam ad ancillam, Dominum ad seruum. Ac prima quidem, Virgo, vt humillima, Elisabetham salutauit, non tanquam dubia (quasi testimonio Elisabethæ probare velit verba ab angelo sibi dicta) sed vt ei congratularetur, & officia quoque sua illi offerret, vt quæ iam ætate, atque etiam onere partus grauis, aliquo auxilio opus habebat. Elisabetha verò mox vt audiuit vocem salutantis Mariæ, imò CHRISTI ipsius, Saluatoris sui, & Domini, qui per os matris illam salutabat, infans Ioannes visceribus eius adhuc conclusus, tanquã intimus cælestis sponsi amicus, fuit ab illo repletus Spiritu sancto, ac Propheta & præcursor eius constitutus. Vnde & gratiæ illius, quam à Domino recepit, participem fecit & Matrem, implens eam spiritu prophetico, quo vterque illuminati & docti. Elisabeth quidẽ cognouit quænam esset illa à qua salutaretur, atque ideo illi tanquam Domini Matri cū debita reuerentia benedixit. Ioannes vero, accelerato in eo diuinitus rationis vsu, intellexit vtero Virginis inclusum, Dominum suum

H

suum

suum esse & Deū. Vnde cum lingua,  
 & voce non posset, exultatione ani-  
 mi & motu corporis, è ventre prodi-  
 re conantis, vt obuiam occurrat, &  
 reuerentiam exhibeat, eum salutauit.  
 Vide, quomodo adhuc agens in ute-  
 ro prophetare incipiat, suaque exul-  
 tatione mundo annunciare filij Dei  
 aduentum, & quasi è maternis visce-  
 ribus vociferatur & dicit. *Ecce Agnus*  
*Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Dic  
 Sancte infantule; Dic omnibus Pro-  
 phetis maior, & plus quam Propheta,  
 vnde tantum tibi gaudium & exul-  
 tatio? nondum es natus, & iam pro-  
 phetas? non vides matrem Domini,  
 & vocem agnoscis? ô quāto latior ad  
 eum recipiendum abissus, si tuis o-  
 culis eum videre potuisses. ô Prophe-  
 ta altissimi, bene apparet, quantum  
 fuerit tuum desiderium aduentum  
 huius Saluatoris annunciandi, ante  
 faciem eius veniendi, & digito illum  
 toti mundo demonstrandi. Nam  
 necdum natus, incipis eum annun-  
 ciare, & nondum conspecta luce das  
 testimonium de vera luce, & utero  
 adhuc conclusus & alligatus, cona-  
 ris currere & officium exercere præ-  
 cursoris. O si natus fuisses, tuisque

Ioh. 1.

ocu.

oculis cum intueri, & manibus contingere valuiffes, quanto maior fuiffet tua exultatio, quanto maiori gaudio obuiam illi processiffes & fupplex adoraffes?

4. ITA QVE Elisabeta, vt diuinitus cognouit, fe falutari à matre Saluatoris mundi, Domini fui, ineffabili lætitia gætiens, ei occurrit; & fuauiffimè amplexa eſt, nimioque gaudio exiliens magna voce exclamauit. Et rectè magna voce, quia magna erant dona, quæ agnouerat in M A R I A. Magna quoque voce, quia agnouit magnum illum Deum, qui exiſtit in omnibus locis, ibi corporaliter eſſe præſentem. Exclamauit ergo voce magna, non tumultuoſa ſed deuota: nec enim poterat exiguæ deuotionis uocibus collaudare D E V M illa, quæ Spiritu ſancto plena tota charitate ardebat, quæ in utero ſuo geſtabat illum, quo inter mulierum natos non erat maior. Exclamauit igitur & dixit. *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui, qui tam copioſis benedictionibus dulcedinis ſuæ te diuinitus præuenit. Benedicta arbor. Benedictus*

*Pſal. 20.*

dictus arboris fructus Benedicta virga radicis Iesse, & benedictus flos, ex tali radice procedens. Benedicta talis mater, & benedictus talis filius. Imò o mater beatissima non solum es benedicta inter mulieres, sed etiam inter mulieres benedictas vberi benedictione es benedicta. Nam ab hoc benedicto tuo fructu summam gloriam saluo virginæ integritatis flore recepisti. Benedicta inter mulieres, quæ tuo diuino partu ab omnibus mulierum filijs exclusa & sublata est primæ matris nostræ maledictio. Et benedictus fructus ventris tui, cuius opera incorruptibilitatis & supernæ hæreditatis semen in Adamo perditum gratiosè est restitutum. Fructus verè benedictus, non benedictione generali (vt aliorum omnium Sanctorum) sed, vt loquitur Apostolus, *quorum Patres, ex quibus CHRISTVS secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* De hoc fructu loquebatur Propheta, quando dixit. *Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum.* Benignitate vsus est Dominus nobiscum, quando constituit Vnigeniti filij sui opera

Rom 9.

Psal. 84.

opera genus humanum ab æterna  
 maledictione vindicare. Usus est  
 benignitate, quando ingrediens  
 mundum Spiritus sancti gratia, con-  
 seruauit vteri virginalis templum  
 in M A R I A. Et tunc terra no-  
 stra dedit fructum suum, quando  
 eadem Virgo ex sua carne terrena  
 genuit filium secundum diuinita-  
 tem Patri æqualem, sed secundum  
 veritatem carnis matri consubstan-  
 tialem. De hoc fructu quoque di-  
 xit Propheta. *In die illa erit germen*  
*Domini in magnificentia & gloria, & fructus terre sublimis.* *Isaie 40.*  
 Tunc germen  
 Domini magnum fuit & glorio-  
 sum, quando Filius D E I apparens  
 temporaliter carne nostra indutus,  
 cælestium virtutum splendore cla-  
 rus in mundo refulsit, & tunc fru-  
 ctus terræ fuit sublimatus, quando  
 caro illa, quam D E V S de nostra  
 natura mortali assumpsit, suæ resur-  
 rectionis virtute facta immortalis  
 exaltata & euecta est supra cælos. O  
 virgo sælicissima, quam bene dixisti,  
 te ab omnibus generationibus ap- *Luc. 1.*  
 pellendam beatam: nam Gabriel  
 in persona omnium angelorum,  
 & Elisabeth in totius humani ge-

neris persona nunc appellarunt te supra omnes alios benedictam & beatam.

3. SVBIECIT deinde Elizabeth. *Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me* quasi diceret. Ego, vt serua & ancilla, potius debui venire ad te, sed magna tua, tuique filij humilitas impulit te venire ad me. O quanta humilitas latet in mente huius sanctae mulieris. Cognouit Elisabeth matrem esse Domini quae ad ipsam venit: sed quia animaduerebat se tanti meriti non esse, vt à tanta hospite inuiseretur, dixit. *Vnde hoc mihi?* Nec mirum quia Spiritus ille, qui ei contulit donum Prophetiae, dedit quoque donum humilitatis, ac illo quidem agnouit ad se venire matrem saluatoris: hoc verò se esse indignam, quae ab ea visitaretur. Verum quid admiraris tantopere Elisabeth Matrem Domini venire te visitatum? admirare potius, quod ad imitandum filium suum veniat, non vt sibi seruiatur, sed vt tibi seruiat. Vbi nota & illud, admirationem hanc non tam fuisse Elisabethae, quam infantuli Ioannis, qui in ytero materno agnoscebat.

scens.

scens Christi præsentiam per os matris exclamavit, dicens *Vnde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?* Sicut postea factus iam vir hæc ipsa verba, quæ nunc per os matris protulit, cum baptismi causa ad ipsam veniret CHRISTVS, proprio ore enunciauit. *Ego, inquit, à te de-* *Matt. 3.*  
*beo baptizari, & tu venis ad me?* Subiecit Elisabeth. *Ecce, ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exaltaui in gaudio infans in utero meo. Vide quam velox & mirabilis sit operatio Spiritus sancti, quam citò anima sub hoc cælesti doctore aliquid discat. nam eo ipso momento, quo vox MARIAE peruenit ad corporeas aures, subito Spiritus sancti virtus ingressa est cor eorum qui eam audierant; nec solum matrem, sed etiam infantulum utero eius inclusum amore Dei ibi præsentis accendit. Vnde Elisabeth, quicquid per internam inspirationem didicerat, cepit exterius præsentibus annunciare & prædicare, dicens. *Beata quæ credidisti, quia perficientur in te, quæ tibi dicta sunt à DOMINO. Vbi vide, quam bene idem Spiritus, quo hæc**



sancta mulier repleta fuit, eam instruxerit non solum in rerum presentium scientia, sed præteritarum quoque & futurarum. Cognouit Elisabeth præsentia: vocando virginem Domini sui matrem, & fructum ventris eius benedicendo. Cognouit quoque præterita: quia vocando Virginem beatam quod credidisset, declarauit se ignaram non fuisse & verborum ab Angelo ad eam dictorum, & consensus ab ea præstiti. Habuit præterea scientiam futurorum, cum dixit, in M A R I A omnia perficienda, quæcunque de illa dicta fuissent à Domino. Iam quis sermone vel cogitatione consequi poterit, quanta Spiritus sancti gratia plena fuerit beatissima mater Dei, si tanta cælestium donorum lux in matre præcursoris Elisabetha emicuit? Si talia fuere charismata & priuilegia à Domino concessa ancillæ, qualia arbitramur fuisse collata sanctissimæ eius matri?

6. C O N S I D E R A quomodo M A R I A cognito Elisabethæ responso, quo tanto opere laudabatur & magnificabatur, licet in

cor.

corde exultarit , tamen ad tantas laudes pudore suffusa fuerit : quantum seipsam humiliarit omnia soli Dei bonitati & liberalitati attribuendo , & quantas subinde gratias pro singulari hoc beneficio sibi , totique generi humano præstito egerit . Denique cum animaduertit gratias & dona sibi à Domino communicata , virginea verecundia & humilitate hæctenus ab ipsa cæcata , reuelatione Spiritus sancti ore aliorum patefacta , ilico ipsa quoque , nolens amplius ignem diuinum in pectore suo ardentem latere , cælestem sui cordis thesaurum aperuit , sublatisque oculis & manibus in cælum profunda humilitate & deuotione , admirabile illud canticum pronunciauit . *Magnificat anima mea Dominum . Et exultaunt spiritus meus in Deo salutari meo .* ac si diceret . O Elisabetha tu magnificas & laudas me propter bona quæ in me vidisti , sed anima mea magnificat Deum Dominum suum , à quo omnia ista bona mea profecta sunt . Similiter Ioannes infans gaudens est , & ob præsentiam meam exultauit , at spiritus meus exultat tantum in Deo suo

H s                      salua-

saluatore. O quàm libenter, quantoque affectu deuotionis hæc benedicta virgo in anima sua laudaret & magnificaret Dominum illum, à quo sciebat se tantopere exaltatam & magnificatam? O quanto maiori gaudio & exultatione, quam Ioannes, completus fuerit Spiritus eius: Ioannes enim tantum exultauit ob CHRISTI præsentiam, sed illa exultauit, quod ipsum CHRISTVM semper secum haberet, & in vtero suo gestaret. O quam demissè se in corde suo humiliarit & abiecerit, dum cogitaret Deum extot mulieribus in se solam pauperculam ancillam oculos suos coniecisse, vnde & dixit, *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* O Virgo fælicissima, quis sensus fuit tui, amorosi cordis, cum videres te tot, tamque admirandis donis à Domino ornata & circumfusam, diceresque, *Quia fecit mihi magna qui potens est?* Sed age quæ fuerunt illa magna & mirabilia quæ fecit tibi DOMINVS, & in te operatus est? Verè fas non est, vt nos ea indagemus: sed nec vlla intelligentia creata comprehendi possunt: quare tan-

tum

B. VIRGINE. 181

tum admirari ea licet, & in consideratione eorum obstupescere. Tu ergo, in cuius sancta anima & corpore DEVS tam magna operatus est, fac nos illorum participes, vt tecum exultare, eundemque DOMINVM suis laudibus celebrare possimus.

7. CONSIDERA quod sequitur, quemadmodum sanctissima Virgo cum Elisabetha permanserit quasi mensibus tribus, idque conuenienter: vt nempe hoc temporis spatio Elisabeth à MARIA, & Ioannes à CHRISTO accuratius erudirentur. Vbi cogitare potes, si primus Virginis in domum illam ingressus tantum attulit fructum, vt ad eius salutationem Ioannes præ gaudio exultarit, & sanctificatus fuerit, ac etiam mater fuerit impleta Spiritu sancto, quantam putamus in vtroque accessionem ad Sanctitatem factam esse tam diuturna cohabitatione? Si Iacob Patriarcha, *Gene. 30.* sua præsentia in ædibus auunculi sui Laban idololatræ, toti familiæ benedictionem attulit; & arca testamenti totam domum Obededom, quamdiu in ea erat, benedictione

impleuit, quam eximijs & singularibus benedictionibus arbitrabimur dotatam fuisse domum Zachariæ, in qua tamdiu permansit sanctissima mater Dei? imo Deus ipse in illa, à quo continenter profluebant & redundabant omnia genera charismatum & benedictionum? O quam ingens fuit commune illud duarum, fœlicium Matrum gaudium, quam dulcia, cœlestiaque colloquia fuerunt inter eas instituta. O beata domus, in qua simul viuebant matres tales, nempe MARIA & Elisabeth, & fœcundæ tali prole IESU & Ioanne. Vbi contemplare, quo Elisabetha vicinior erat partui, eo maiores ex gestatione vteri passam molestias, & ideo Beatam Virginem DEI matrem, summa humilitate, charitate, & sollicitudine eam consolatam fuisse, omniaque officia & ministeria illi obtulisse. Ex alia parte, si Elisabetha ex visitatione Deiparæ tantam admirationem cepit, vt exclamans diceret. *Vnde hoc mihi, vt mater Domini mei veniat ad me?* quantum capere debuit, imò quanto pudore suffundi,

cum.

cum videret eandem causa sua, tam abiecta domi obire ministeria, ancillarum propria? Cæterum quæ exemplo filij sui ( vt dictum est ) non venerat ministrari, sed ministrare, si quando Elisabeth, vti verisimile est, illi prohiberet, ne se nimium abijceret in quibusdam rebus, tum mater ad matrem illa verba vsurpabat, quæ postea vsurpauit filius ad filium, *Sine modo, sic enim decet nos implere* Matt. 3,  
*omnem iustitiam.* Considera denique B. Virginem, cum iam fere tres menses effluxissent, ante Elisabethæ partum ( id enim historiæ Euangelicæ videtur maximè consentaneum ) cū bona Elisabethæ venia domum reuertisse. Quod magna cum prudentia factum est. nec enim virginæ eius puritati conueniebat, mulieri parienti adesse, multoque minus vt obstetricis obiret munera. Accedit, quod cum ad Elisabethæ partum futurus fuerit magnus hominum, tum cognatorum, tum vicinorum concursus, vt ei congratularentur, visum est sanctissimæ Virgini, quæ iam alias solita erat turbam & conspectum hominum defugere, se solitudini cordis sui committere. Hic iam

perpende, si tantam lætitiã & exultationem suo aduentu illi attulit familiæ, quantum mœrorẽ conciliarit suo decessu: minus certe fieri nõ potuit, quã, vt tum Elisabeth, tũ ipse Ioannes vbertim per oculos matris illachrymarent, & signa doloris ederent, sicut signa gaudij ediderant percus aduentum.

8. O anima mea, quæ semper es tam arida & frigida, nec vllõ exultationis vel gaudij spiritualis sensu tangeris: sed quid mirum? semper enim hæres in vallibus, & depressis huius terræ locis, ducendis sensuum tuorũ gregibus, & pascèdis eorundẽ capellis tantum intentus, sic prorsus, vt nunquam mentem attollas sursum cum desiderio tendendi ad perfectionem, & sanctorum conuersationem. Exurge tandem, & mente saltem, considerationeq; pete iugamontium, si forte spiritali aliquo gustu tangaris suauissimorum complexuũ, qui inter Virginẽ & Elisabetham exstiterũt; si adlubescat officiosa illa amorisq; plenissima mutua vtriusque consalutatio, vt causam exultandi cum Ioanne habeas, & solatium cum Elisabetha commune accipien-

B. VIRGINE. 185

cipiendi, ac ob tot beneficia spirita-  
lia tibi, licet immerenti, collata. vna  
cum matre sanctissima accinere pos-  
sis sacrum illud canticum, *Magnificat  
anima mea Dominum*. Accede ergo a-  
nima mea, & quantum potes, labora  
vt tantis gaudijs interesse possis: abij-  
ce te ad pedes nunc huius, nūc illius,  
& in vtero Matris sponsum tuum  
caelestem adora, venerare quoque fi-  
delem eiusdem sponsi amicum in  
vtero Elizabethæ delitescens. O.  
peccatores erigite animos, & nolite  
desperare, si enim tāta est MARIAE  
caritas, vt dignata sit visitare Elisa-  
beth, eiūque licet multo inferiori ser-  
uire, non dedignabitur quoque ad  
vos solandos & iuuandos venire: nec  
vnquam veniet vacua, quia secum  
defert fructum sui ventris, hoc est,  
IESVM Salvatorem nostrum, vitam  
nostram, & omne bonum nostrum.  
Beati, qui visitantur à MARIA. Bea-  
ti, qui obuiam erunt MARIAE,  
nam sicut scriptum est; qui inue-  
niet illam, inueniet vitam.

& salutem à Do-  
mino.

COL.



**O** Virgo gratiosissima, & plus quā  
angelica, in cuius labijs tanta est  
gratia diffusa de cælis, vt ad saluta-  
tionis tuæ vocem Ioannes in ventre  
matris à Deo fuerit sanctificatus, &  
spiritu agnoscens Saluatoris aduen-  
tum summo gaudio exultarit; ipsa  
quoque Elisabeth Spiritu sancto ple-  
na prophetarit, totque diuinorum  
mysteriorum notitiam acceperit:  
obsecro te per incredibile gaudium  
quo tota illa Zachariæ domus per-  
fusa fuit, & per ineffabiles illas ac  
cælestes consolationes, quibus san-  
ctissima anima tua quotidie mira-  
biliter reficiebatur ex æterni ver-  
bi corporaliter in te habitantis præ-  
sentia, vt mihi à Domino impe-  
trare velis cor mundum & castum,  
cor purum & simplex, ab omnibus  
rebus terrenis illud abstrahendo, &  
ad amorem desideriumque cæle-  
stium attollendo, atque vt denique  
dignetur animam meā ex huius vitæ  
ærumnis ad illa diuina gaudia trans-  
ferre, vbi in æternum perfectè lauda-  
re & magnificare illum possim, ple-  
neq; lætari & exultare in eo, Crea-  
re & Salvatore meo.

D O.

B. VIRGINE.  
DOCUMENTA.

187

**B**ATISSIMA Virgo post conceptionem filij Dei subito exurrexit: ut nos instrueret, quoties bonum & salutare propositum in corde conceperimus, ilico exurgendum esse, & deserendam pravam peccandi consuetudinem, omnemque somnolentiam & ignauiam excutiendam, sicut exhortatur nos Apostolus. Surge, inquit, qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Epb. 5.

2. Virgo discessit à Galilæa, quæ significat volubilitatem, ut intelligeremus debere nos ab amore & affectione rerum fluxarum & terrenarum discedere: quæ ob suam instabilitatem comparantur volubili rotæ: eo quod in illis nulla pax vel quies inueniri queat.

3. Virgo abiit cū festinatione, ut instrueret nos, bonis operibus iungendum ardorē, omnique celeritate viam mandatorum diuinorum percurrentiam, ut possimus dicere Psal. 118. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum sapiens quoque consulit, dicens. Eccl. 5. Ne tardes conuerti ad Dominum, & ne differas, de die in diem.

4. Virgo ascendit in montes, ut intelligeremus, quemadmodum sine difficultate mons non ascenditur, sic sine labore, & vi  
sibi

Gen. 19.

vi sibi illata non posse ad culmen virtutis perueniri. Atque etiam vt doceremur, si securi esse velimus de salute nostra, opera pretium esse vt tendamus ad fastigium vite perfectae, abstrahendo se à rebus terrenis, & inhiando caelestibus, secundum cōsiliū ab angelo datum Loth. Ne stes in omni loco circa regionem, sed in monte saluum te fac. Mundus enim tot laqueis & periculis plenus est, vt homo egre se ex illis explicare possit.

5. Virgo intrauit in domum Zachariae, & salutauit Elisabeth, ad informādos nos, eos qui hinc inde vagantur, nec vnquam se colligunt ab huius seculi curis, diuina visitatione saluatione q̄; ipsius matris Dei esse indignos, conuenienter mandato à Domino Apostolis dato, ne quenquam salutarent in via, si verò domum aliquam ingrederentur, precarentur eis pacem.

6. Beata virgo, quamuis facta esset mater Dei, tamen non verita est demittere se ad ineundam visitationem, & ministeriū præstandum Elisabethae: vt nimirum exemplum humilitatis omnibus præberet, ac singularim magnae dignitatis hominib⁹, intelligerentque, quo quis in sublimiori statu versatur, hoc rem laude & honore digniorem facere, quo se deicit magis, ad subueniendum subditis in eorum necessitatibus,

secun-

secundum illud sapientis . Quanto magnus es, humiliata te in omnibus.

*Ecccl. 30.*

7. Si Elisabeth Spiritu sancto plena, quod mater Dei domum suam intrasset, dicebat, vnde hoc mihi, Nos qui sumus peccatis pleni, quid dicere vel facere debemus, quando ipse Deus dignatur sacramentaliter in domum anime nostrae spiritualem intrare? quanta reuerentia, qua gratiarum actione, quibus operibus excipere deberemus talem hospitem?

8. B. Virgo vt audiuit se laudari & beatam predicari ab Elisabetha, dixit, Magnificat anima mea Dominum. vt doceremur, si quando ob donum aliquod à Domino concessum, vel opera bona laudemur, non debere nos aut oblectari illo laudum nostrarum praconio, aut vane in eo gloriari, sed potius totum attribuere Deo, laudemque in eum transferre à quo omnia dona in nos profluxerunt.

9. B. Virgo cum iret visitatum Elisabetham, cum festinatione iter confecit, sed in domo cognatae commorata est mensibus tribus; nempe vt mulieribus honestis exemplum daret, domi potius haerendi, quam in publicum prodeundi.